

PRÆFATIO AD LECTOREM.

nicus vocat *τρισανθρώπους*, *ter homines*, pro eo quod est, *τρισάδελφους*, *ter infelices*. Sane è satis appositè. Nam ille *ter* & ampliùs infelix est, qui faccum fumo repletum & olidum ostentat. At gloria quid aliud quàm fumus? Fumus quò magis ascendit, eò citiùs evanescit. Spatiatur velut in aëre, & gestit caput inter nubila condere. Hoc ipso perit. Idem de gloriolâ illâ, quam rumigeraucupidi, ut facetè magnus ille Scaliger ait, è scriptiunculis quærunt, velim te cogitare. Quando illi homunciones existimant, se famâ pulsare verticem cœli, gloriolæ fumus abit in auras. O verè igitur magnum animum, qui parva ista contempsit semel! Gloriam illam oportet quærere, quæ ab æterno in æternum durat. Hanc si extra Deum quæris, Deum non nosti. Et hanc si quæris, solam quærere debes, non aliam. O utinam hoc ita assequar, ut volo, ut conor! Ex parte tamen assequor, & hâc triumphali veluti tabellâ ob signo hoc præloquium. Gloriam ego nullam quæro, nisi Patris illius luminum, quem precor ut det nobis in hujus vitæ tenebris lumine Logico sic uti, ut illud nobis sit manu ductio ad luminis supercælestis fulgorem cognoscendum, donec cum ipso in æternitate jungamur.

AD LE-